

C L.

193

**A**mpliori certe commentario illustranda esset pulcherrima hæc & rarissima Inscriptio, quum novum nobis militiæ gradum exhibeat, qui neque ab antiquis Scriptoribus memoratur, neque in vetustis Inscriptiõibus occurrit. Sed illud mihi evenire video, quod Scriptoribus fere omnibus accidit, ut properanti similis quanto propius finem operis attingo, tanto ocyus pervenire ad illum festinem.

AEQ. IIIPL. AVREL. A. *Equiti Triplari, seu Triplario five Triplicario Aureliani Augusti*; tam Equites, quam pedites annonarum numerum duplicari sibi meruisse jam satis ex antiquis Inscriptiõibus exploratum est. A modo stipendii, quem accipiebant, nomen illi factum. Sesquiplares, qui annonam unam semis accipiebant; Duplares, qui duas. *Duplares seu Duplicarios, five, ut habent Inscriptiões, Duplicarios* memorat Varro lib. IV. de L. L. *Duplicarii dicti, quibus ob virtutem duplicia cibaria, ut darentur, institutum. Duplares & Sesqui-plares* Vegetius lib. II. cap. 7. *Armatura, inquit, duplares, quæ binas consequuntur annonas, sesquiplares, quæ unam semis. Atque hi porro non raro in vetustis lapidibus inveniuntur. Triplares vero seu Triplarios unica hæc producit Inscriptio, quæ profecto hanc ob rem quanti facienda sit, nemo non videt. Utinam e terræ visceribus alius aliquis effodiatur lapis, qui quadruplares ac quintiplares proferat, quos omnes in antiqua militia fuisse dubitare nos non sinit insignis locus incerti authoris de Rebus Bellicis Notitiæ Imperiorum adjuncti, quem a G. Stevukio in Commentario ad Vegetium, jam allatum, recudere iterum operæ pretium est, quum mirifice Inscriptiõnis nostræ Triplarem illustret. Ad enormia, inquit ille, militum alimenta ratione non incongruè prohibenda veniamus: quorum causa totius tributaria functionis laborat inlatio. Sed ne tanta confusionis molem occupatio Augusta fastidiat, brevius tam diuturni erroris exitum declarabo. Militaris ordo stipendiis aliquot peractis, ubi ad quinque vel eo amplius annonarum emolumenta pervenerit, ne hæc diutius percipiens Rempublicam gravet, honesta missione donatus, vacans sibi otio gaudeat absolutus.*

F. ABVCIVS. Reliqua Inscriptio plana est. *Fecit Abucius Pius Natione Vindelicus Commilitoni sua bene merenti.*

B b

CLI.